



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis
Disciplinis & religione Christiana**

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

XIV. Concordia monachorum Tutelensium & Aureliacensium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

A C T O R U M V E T E R U M . 635

Heriveus subscripti. Rodmundus subscripti. Constantius Scolasticus subscripti. Optadus subscripti. Boso sacerdos subscripti. Teotbertus sacerdos subscripti.

Ego Vuido Levita ad vicem Suavi Cancellarij scripti & subscripti.

Data i i i . Kal. Augusti , Indictione x i i . anno primo regnante Lothario Rege.

X I V .

Concordia monachorum Tutelensium &
Aureliacensium.

Ex Chartulario Ecclesiae Tutelensis.

NO RUM sit omnibus monasteriorum fratribus, videlicet Aureliacensis & Tutelensis, tam præsentibus quam futuris, quia invicem habuerunt querimonias Raimundus Aurelitensis Abbas & Bernardus Tutelensis Abbas. Johannes Abbas, qui propinquus beati Geraldii dinoscitur fuisse, simul utrasque Ecclesiæ tenuit, & quasdam possessiones sui juris, quæ sibi à parentibus contigerant, Ecclesiæ beati Martini Tutelensis monasterij dedit, scilicet presbyterale ministerium Ecclesiæ sancti Amancij de Faurcio, & tres mansos in eadem curte, mansum Geraldii, & mansum Frudini, & mansum Rotgerij, & quindecim debitales porcos in eadem curte, freda regalia quæ Johannes habebat annuatim de manu Regis Francorum in Tutelensi castro. Dedit & alios quinque mansos in parrechia de Argentado. Has res superius nominatas dedit Ecclesiæ beati Martini & monachis ibidem Deo famulantibus Johannes Abbas, hac quidem conditio ne, ut unoquoque anno in festivitate beati Geraldii tres libras piperis aut pigmenti Tutelenses fratres Aureliacensibus persolverent. Eo quidem vivente, ut patres nostri soliti sunt referre, reddebaratur absque ulla contradictione. Post mortem vero ipsius orta est se piissime lis. Tandem facta est pax hoc modo. Ego

Raimundus Aureliacensis Abbas, cum consilio fratrum meorum, hoc Tutelensibus fratribus grave fore cognoscens, rogatu illorum atque humili prece, Bernardo Abbatii fratri nostro & filio nostraeque congregationis monacho suisque successoribus omne annuale censum remitto.

X V.

Excommunicatio Ragenardi Comitis Senonensis, renovata adversus Gauzfridum & Geilonem Canonicos Senonenses.

*Ex veteri libro pontificali Ecclesiae Senonensis,
qui nunc extat penes clarissimum virum
Antonium Vionem Herovallium.*

IM M E N S U S dolor nos urget ad gemitum, ac indicibilis mœstitia commovet ad fletum, quando illos quos passio Christi à jugo diaboli redemit, & à sordibus peccatorum sacer baptismus purificavit, & Ecclesiæ catholicæ corpori sociavit, nunc iterum se ipsos sponte antiquo hosti subdere videmus, & non solum membris Christi persecutionem inferre, sed etiam contra ipsum totius creaturæ auctorem & dominum bellum moliri. Qui enim sacrosanctæ Ecclesiæ structores atque defensores esse debuerunt, modò venenato diaboli furore vexati, atque ferina rabie concitati, omnitemore Domini postposito, & remedio pœnitentiæ neglecto, Ecclesias in Dei honore ac perpetuæ virginis Mariæ sanctique Stephani dicatas lacerare ac sine pastore esse non pertimescant, violenter usurpantes eam unde sancta debet restaurari Ecclesia. Ammonemus etiam & ammonendo adjuramus ut incorrigibiles, & qui pestiferis & flagitiosis moribus sunt inretiti, sicut à bonis moribus sunt alienati, ita & à consortio fidelium fiant extranei. Igitur cognoscat universalis Ecclesia hostes levissimos & tyrannos improbos, adversarios & persecutores pessimos sanctæ Dei Ecclesiæ,